

dire: & ignorantia facti excusat peccatum, sicut & excusaretur post consummatum matrimonium, si à consanguineo viri fraudulenter cognosceretur: quia fraus alterius non debet sibi præjudicare.

## ARTICULUS III.

*Utrum matrimonium (1) possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam.*

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod matrimonium non possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam. Unius enim una est ratio. Sed matrimonium est unum sacramentum. Ergo non potest fieri ex alterius finis intentione quam illius ad quem à Deo institutum est, scilicet ad procreationem prolis.

2. Præterea. Conjunctio matrimonii est à Deo, ut patet Matth. XIX. 6. *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Sed conjunctio quæ fit propter turpes causas, non est à Deo. Ergo non est matrimonium.

3. Præterea. In aliis sacramentis, si non servetur intentio Ecclesiæ, non est verum sacramentum. Sed intentio Ecclesiæ in sacramento matrimonii non est ad aliquam turpem causam. Ergo si ex aliqua turpi causa matrimonium contrahatur, non erit verum matrimonium.

4. Præterea. Secundum Boetium (de differentiis topicis Lib. II.) cujus finis bonus, ipsum quoque bonum. Ergo non est matrimonium, si propter malum finem fiat.

5. Præterea. Matrimonium significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Sed ibi non cadit aliqua turpitudine. Ergo nec matrimonium potest contrahi propter aliquam turpem causam.

Sed contra est, quia qui baptizat alium intentione lucrandi, vere baptizat. Ergo & qui contrahit cum aliqua intentione lucri, verum est matrimonium.

Præterea. Hoc idem probatur per exempla, & auctoritates quæ ponuntur in littera.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod causa finalis matrimonii potest accipi dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se quidem causa matrimonii est ad quam matrimonium est de se ordinatum; & hæc semper bona est, scilicet procreatio prolis, & fornicationis vitatio. Se per accidens causa finalis ipsius est hoc quod contrahentes intendunt ex matrimonio. Et quia hoc quod ex matrimonio intenditur, consequitur ad matrimonium; & priora non variantur ex posterioribus, sed è converso; ideo ex illa causa non recipit matrimonium bonitatem, vel malitiam; sed ipsi contrahentes, quorum est finis per se. Et quia causæ per accidens sunt infinitæ, ideo infinitæ tales causæ possunt esse matrimonii, quarum sunt quædam honestæ, & quædam inhonestæ.

Ad primum ergo dicendum, quod verum est de causa per se, & principali; sed quod habet unum finem per se, & principalem, potest habere plures fines secundarios per se, & infinitos per accidens.

Ad secundum dicendum, quod conjunctio potest accipi pro ipsa relatione quæ est matrimonium; & talis semper est à Deo, & bona est, à quacumque fiat causa: vel pro actu eorum qui cunjuguntur; & sic est quandoque mala, & non est à Deo, simpliciter

(1) Al. non possit.

ter loquendo. Nec est inconveniens quod aliquis effectus sit à Deo, cujus causa mala est, sicut proles quæ ex adulterio suscipitur. Non enim est ex causa illa inquantum est mala, sed inquantum aliquid habet de bono, secundum quod est à Deo, quamvis non simpliciter sit à Deo.

Ad tertium dicendum, quod intentio Ecclesiæ quæ intendit tradere sacramentum, est de necessitate cujuslibet sacramenti, ita quod ea non observata nihil in sacramentis agitur; sed intentio Ecclesiæ quæ intendit utilitatem ex sacramento proveniente, est de bene esse sacramenti, & non de necessitate ejus; unde si non observetur, nihilominus est verum sacramentum; sed prætermittens hanc intentionem peccat; sicut si in baptismo non intendatur sanitas mentis quam Ecclesia intendit. Similiter ille qui intendit matrimonium contrahere, quamvis matrimonium non ordinet ad illum finem quem Ecclesia intendit, nihilominus verum matrimonium contrahit.

Ad quartum dicendum, quod illud malum intentum non est finis matrimonii, sed contrahentium.

Ad quintum dicendum, quod ipsa unio est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ & non operatio unitorum: ideo ratio non sequitur.

## QUÆSTIO II.

Deinde quæritur de matrimonio beatæ Virginis: & circa hoc quærentur tria.

Primo. De voto, & matrimonio beatæ Virginis.

Secundo. Utrum fuerit illud matrimonium perfectum.

Tertio. Utrum fuerit aliquando consummatum, ut Elvidius dixit.

## ARTICULUS I.

*Utrum beata Virgo debuerit virginitatem vovere.*

III. P. quæst. XXIX. art. 1.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod beata Virgo non debuerit virginitatem vovere. Quia in lege maledictio debebatur illis qui semen non relinquebant super terram, ut patet Deuter. VII. Sed adhuc durabat status legis. Ergo non debuit virginitatem vovere.

2. Præterea. Votum virginitatis pertinet ad perfectionem consiliorum. Sed talis perfectio debuit à Christo inchoari, qui venit legem consilii adimplere. Ergo ante Christi adventum non debuit virginitatem vovere.

Sed contra. In matre Christi debebat omnis esse perfectio. Sed votum virginitatis est de maximis perfectionibus. Ergo non debuit ei deesse.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non debuit esse matrimonio juncta. Quia votibus virginitatem non solum nubere, sed velle nubere est damnabile, ut Hieronymus, Augustinus dicit. Sed nihil damnabile debuit esse in beata Virgine. Ergo postquam virginitatem vovit, nubere non debuit.

2. Præterea. Vovens virginitatem periculo se exponeret, si se in potestatem viri traderet. Sed hoc est peccatum. Ergo beata Virgo non debuit sui potestatem

tem alteri tradere nubendo: ergo nec nubere.

3. Præterea. Quicumque consentit in matrimonium, consentit aliquo modo in carnalem copulam, ad minus implicite. Sed consensus in carnalem copulam aliquid diminuit de puritate virginitatis, ad minus inquantum ad virginitatem mentis. Cum ergo matri Dei deberetur talis puritas qua major sub Deo nequit intelligi, ut Anselmus dicit, de conceptu virginali cap. XVII. videtur quod non debuit nubere.

Sed contra est quod dicitur Matth. 1. 18. *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph: in textu, & Glossa.*

Præterea. Christus sua nativitate debuit ita virginitatem commendare, quod nuptiis non derogaret. Non autem melius potuit utrumque approbare quam ut de virgine nupta nasceretur. Ergo &c.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod causæ matrimonii ejus assignatæ in littera non sint convenientes. Quia diabolus, cum habeat lucida naturalia, plura potest cognoscere naturali cognitione quam homo. Sed homo etiam sensu potest cognoscere de aliqua an sit virgo. Ergo multo fortius diabolus hoc scire poterat.

2. Præterea. Diabolus bene scit quod illa est virgo quæ nunquam juncta est viro. Sed diabolus scire poterat quod Joseph nunquam carnaliter ei conjunctus fuerat. Ergo per hoc quod erat nupta, non occultabatur ei virginitas matris Dei.

3. Præterea. Mysterium Divinitatis Christi non minus miraculis quam virginitate matris demonstratum est. Sed illa miracula diabolus vidit. Ergo non oportuit quod mysterium incarnationis ejus ei per nuptias matris celaretur.

4. Item. Si non esset nupta, non poterat lapidari propter suspicionem fornicationis, quasi adultera. Ergo videtur quod non propter hoc oportebat eam nubere.

5. Præterea. Ex hoc quod nupta fuisset, Judæi magis edificati fuissent ad fidem; qui scriptum invenerunt, Isai. VII. 14. *Ecce virgo concipiet: & ita virginitas matris non debuit eis per nuptias occultari.*

6. Item. Christus venit ut labores nostros sustineret, & per hoc auferret. Ergo non oportuit quod haberet mater ejus virum ad ejus obsequia.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum, quod in beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit. Virginitas autem, quamvis in se optima, tamen pro tempore illo ei matrimonium præferrebatur propter expectationem benedicti seminis per viam generationis venturi: & ideo beata Virgo vovit virginitatem tamquam optimum, & sibi acceptissimum; non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima, hæc scilicet, nisi Deus aliter ordinaret: nec isram conditionem apposuit, ut dubitaret an vellet virgo permanere, sed an deberet: & hoc est quod Augustinus in littera dicit, quod proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ordinaret.

Ad primum ergo dicendum, quod beata Virgo fuit confinitum veteris, & novæ legis, sicut aurora diei, & noctis: & ideo votum ejus sapuit novam legem, inquantum virginitatem vovit, & veterem, inquantum conditionem apposuit.

In IV. Sent. Tom. V.

Ad secundum dicendum, quod perfectio consiliorum quantum ad consummationem incipere debuit à Christo, sed quantum ad aliquam inchoationem convenienter à matre ejus incepit.

## SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod conveniens fuit matrem Christi matrimonio esse junctam, tum propter causas in littera assignatas, tum etiam propter alias causas: quarum prima est, ut significaret Ecclesiam, quæ est virgo, & sponsa. Secunda, ut per Joseph genealogia Mariæ texeretur: non enim erat consuetudo apud Hebræos ex parte mulierum genealogiam computare. Tertia, ut virginitas excusatio tolleretur, si de fornicatione infamantur. Quarta, ut nuptias Christus sua nativitate approbare. Quinta, ut major perfectio virginitatis in beata Virgine ostenderetur, dum in ipso matrimonio virgo permansit.

Ad primum ergo dicendum, quod post votum virginitatis absolute factum non potest aliquis in matrimonium consentire sine peccato: quia si sit votum simplex, non fit verum matrimonium si autem sit votum simplex, verum matrimonium est quod sequitur, tamen peccant contrahentes. Votum autem beatæ Virginis non fuit simplex, sed simplex in corde expressum; nec absolutum, sed sub conditione, ut in littera patet: & ideo potuit sine peccato ex speciali Spiritus Sancti consilio, cujus dispositio conditionaliter in suo voto cadebat, in matrimonium consentire.

Ad secundum dicendum, quod beata Virgo antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitus quod Joseph in simili proposito erat; & ideo non se commisit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati deperit: quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum; talis enim conditio cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret.

Ad tertium dicendum, quod copula carnalis cecidit implicite sub consensu beatæ Virginis, sicut acrus implicite continetur in potentia, ut ex supra dictis, dist. XXVIII. quæst. 1. art. 4. patet. Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius nisi ratione actus: qui quidem nunquam fuit in proposito beatæ Virginis, sed erat jam certificata quod actus nunquam sequi deberet.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod rationes quæ in littera ponuntur, convenientes sunt: quarum una accipitur ex parte conceptus, scilicet ut partus diabolo celaretur; secunda ex parte matris, ut scilicet non lapidaretur; tertia ex parte Joseph, scilicet ut obsequeretur & matri, & puero, & testimonium præberet virginitati.

Ad primum ergo dicendum, quod diabolus cognitione naturali bene potuisset perpendere virginitatem matris Dei cum toto hoc quod nupta erat, nisi prohibitus fuisset à diligenti examinatione eorum quæ circa ipsam erant, divina virtute.

Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod per alia etiam miracula non aperte poterat cognoscere ipsum esse Filium Dei: quia simul videbat in eo signa infirmitatis, & virtutis: unde si aliquando aliquid de Divinitate ejus confitebatur, magis ex præsumptione quam



ex certitudine procedebat. Sed hoc propter præcedens vaticinium fuisset certissimum signum Filii Dei viventis.

Ad quartum dicendum, quod intelligitur de lapidatione infamæ: vel quia erat de stirpe sacerdotali ex parte matris; quod patet ex hoc quod Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, dicitur ejus cognata, Luc. 1. Filia autem sacerdotis, etiam non nupta, deprehensa in stupro exurebatur, ut patet Lev. 21. sed ex parte patris erat de stirpe David. Bene enim poterant per matrimonium conjungi filia Aaron illis de tribu regia, vel etiam quibuslibet alterius tribus, eo quod non acceperant hæreditatem divisam ab aliis tribubus; & sic ex hoc non potuit confusio sortium provenire, quæ erat causa prohibitionis matrimonii contrahendi inter illos qui erant de diversis tribubus.

Ad quintum dicendum, quod Dominus maluit permittere Judæos dubitare de Deitate sua quam de castitate matris, sciens lubricam esse virginitatis famam, ut Ambrosius dicit, super Luc. c. 1.

Ad sextum dicendum, quod Christus non debuit necessitatis solatium refutare: quia hoc perversitatis magis est quam humilitatis.

## ARTICULUS II.

*Utrum matrimonium prædictum fuerit perfectum.*

*III. P. q. xxix. art. 2.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium prædictum non fuerit perfectum. Perfectum enim matrimonium ex absoluto consensu procedit. Sed beata Virgo non absolute in matrimonium consensisse videtur, sicut nec absolute vovisse; cum in utroque se dispositioni divinæ commiserit, ut in littera dicitur. Ergo non fuit perfectum matrimonium.

2. Præterea. Significatio est de essentia matrimonii, in quantum est sacramentum. Sed matrimonium illud non fuit perfectum in consignificatione, ut in littera dicitur. Ergo non fuit perfectum sacramentum.

3. Præterea. Ubi deest ultima consummatio, non est vera perfectio. Sed matrimonium beatæ Virginis nunquam fuit consummatum. Ergo non fuit vere perfectum.

4. Præterea. Perfectum dicitur esse matrimonium ex eo quod habet bonum prolis. Sed illud matrimonium non habuit bonum prolis, quia proles quæ fuit in illo matrimonio educata, non fuit effectus illius matrimonii, sicut nec filius adoptivus dicitur bonum matrimonii. Ergo non fuit perfectum matrimonium.

5. Præterea. Post perfectum matrimonium non licet alicui sponsam dimittere. Sed Joseph, quamvis esset justus, volebat eam occulte dimittere, ut dicitur Matth. 1. Ergo nondum erat perfectum matrimonium.

Sed contra. *Dei perfecta sunt opera*: Deut. xxxi. 4. Sed illud matrimonium fuit divinitus inspiratum. Ergo fuit perfectum.

Præterea. Per matrimonium non dicuntur aliqui conjuges, nisi sit perfectum. Sed Maria dicitur conjugata Joseph, Matth. 1. Ergo fuit inter eos perfectum matrimonium.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod duplex est perfectio matrimonii. Una quantum ad esse ipsius, quæ fit per consensum verbis de præseni expressum; & tali perfectione matrimonium illud perfectum fuit. Alia est

perfectio quantum ad operationem; & sic non fuit perfectum, quia actus proprius matrimonii est carnalis copula.

Ad secundum ergo dicendum, quod beata Virgo absolute in matrimonium consensit, ut certificata divinitus; sed in matrimonium sic consentiens virginitatem suam Deo commisisse in littera dicitur.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de secunda perfectione, quæ consummatio dicitur matrimonii.

Ad quintum dicendum, quod significatio non quælibet est de essentia sacramenti, sed illa qua significatur effectus sacramenti: & ideo ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio suscipitur, & educatur; & sic bonum illius matrimonii fuit proles illa, & non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii: quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter quod proles illa susciperetur in eo, & educaretur.

Ad quintum dicendum, quod Joseph noluit eam dimittere quasi aliam ducturus, vel propter aliquam suspicionem, sed quia timebat tantæ sanctitati cohabitare propter reverentiam: unde dicitur ei: *Noli timere*: Matth. 1. 20.

## ARTICULUS III.

*Utrum matrimonium illud fuerit aliquando consummatum.*

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod matrimonium illud fuerit aliquando consummatum. Dicitur enim Matth. 1. 18. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Et item 25. *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo videtur quod post cognoverit eam.

2. Præterea. Primum dicitur respectu secundæ. Sed Christus in auctoritate inducta dicitur primogenitus filius Virginis. Ergo post primum habuit alium; & sic matrimonium illud, saltem post Christi natiuitatem, consummatum fuit.

3. Præterea. Non defuerunt verba Evangelistis ad exprimendum suam intentionem. Sed nunquam expresserunt quod Joseph amplius eam non cognosceret. Ergo post Christi generationem matrimonium fuit consummatum.

4. Præterea. Joseph dicitur pater Christi in pluribus Evangelii locis, & dicitur etiam habere fratres; quod non esset, si matrimonium illud nunquam fuisset consummatum. Ergo &c.

5. Præterea. Duo corpora non possunt simul esse in eodem loco. Ergo Christus non potuit exire de ventre matris integritate virginitatis manente; & sic non fuit inconveniens quod matrimonium illud consummaretur.

6. Præterea. Abraham, & alii patres qui conjugii usi sunt, maximæ dignitatis fuerunt. Ergo nihil deperisset matri Christi, si matrimonium consummasset.

7. Præterea. Helvidius objicit. Si turpe est Christo matrem cognosci post partum, quanto magis per genitalia virginis esse natum?

Sed contra. Virginitas corruptioni præponitur. Sed mater Christi debuit esse in excellentissimo statu. Ergo

go debuit esse virgo, & sic non debuit illud matrimonium consummari.

Præterea. Non est probabile quod Joseph auferet uterum quem templum Dei noverat, attingere, ut Hieronymus dicit, cont. Helvid.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod mater Christi ante partum, & in partu, & post partum in æternum virgo permansit. Sed ejus virginitati ante partum Judæi, & Ebionitæ derogant, dicentes, Christum ex Joseph semine esse natum. Ejus autem virginitati in partu Philosophi derogabant, dicentes, non posse duo corpora esse in eodem loco. Sed virginitati ejus post partum Helvidius quidam idiota, & sacerdos ausus est derogare, quod loquacitatem facundiam æstimans, accepta materia disputandi, à blasphemis matris Dei incepit, dicens eam post partum à Joseph cognitam; & contra quem Hieronymus librum conscripsit.

Ad primum ergo dicendum, quod *antequam* non semper denotat ordinem ad illud quod futurum est secundum rei veritatem, sed quandoque ad illud quod futurum speratur secundum communem cursum, secundum quod dicitur: Iste, antequam haberet viginti annos, mortuus est: & sic est in proposito. Et similiter *ly donec*, quandoque significat hoc quod præcessit, terminari veniente eo quod expectatur, ut cum dicitur: Sede hic, donec veniam; quandoque autem non sic, ut cum dicitur I. Corinth. xv. 25. *Oportet et illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*: non quod tempus regni ejus finiatur ad subjectionem inimicorum; sed subiectio inimicorum in tempore regni includitur.

Ad secundum dicendum, quod primogenitus dicitur ante quem nullus, quamvis post ipsum non sit alius: alias unigeniti jus primogenituræ non haberent, nec debuissent Deo offerri in lege quod falsum est.

Ad tertium dicendum, quod Evangelistæ ex eo quod minus est credibile dimiserunt, intelligendum hoc quod magis credibile est. Minus autem credibile est quod virgo concipiat (quod Evangelistæ dixerunt) quam quod post partum virgo conservetur; & ideo non curaverunt hoc dicere.

## DISTINCTIO XXXI.

*De tribus bonis conjugii.*

**P**ost hæc de bonis conjugii quæ sint, & qualiter coitum excusent, dicendum est. Tria sunt principaliter bona conjugii: unde Augustinus, Lib. II. super Genes. ad lit. cap. vii. „Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio, vel alia coatur. In prole, ut amanter suscipiatur, (4) benigne nutriatur, religiose educetur. In sacramento, ut conjugium non separatur, & dimissus, vel dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur.“

*De duplici separatione.*

**S**eparatio autem gemina est, corporalis scilicet, & sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis, & ex communi consensu causa religionis, sive usque ad tempus, sive usque ad finem. Sacramentaliter vero separari non possunt dum vivunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim vinculum conjugale inter eos, etiamsi aliis à se discedentes adhæserint. Unde Augustinus, de nupt. & concupisc. Lib. I. c. x. & habetur in Decr. causa xxxii. q. vii. cap. „Usque adeo“: „Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum aliis quibus adhæserunt.“ Item, paulo post. „Manet inter viventes quoddam conjugale vinculum, quod nec separatio, nec cum al-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. ad orationem. (2) Al. non esset. (3) Forte cum veniali. (4) Al. deest benigne nutriatur.